



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,  
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

**Nádasi, János**

**Coloniae Ubiorum, 1667**

Feria VI Majoris Hebdomadae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)

tuam ingressus) quicquid vis: dispone in me de me, de oculis meis, de corde, ac omnibus occupationibus meis, prout vis: illas ego tuæ gloriæ & amoris dedico universas, ac, tuo sanguine imbutas, volo utque quaque pendere è tui amoris directione, amissi, atque imperio: donoque illas illi animæ, è purgatorio liberandæ, quam tu vis.

## FERIA VI MAJORIS HEBDOMADÆ.

Salve JESU Nazarene, Rex Judæorum, Monarcha æternitatis! *Vespere* pedes lavans, orans, sanguinem sudans, capite, vincte; *nocte* illâ apud Annam, & Caipham; *manè factò*, in aulis Pilati, ac Herodis, accusate, percusse, illuse, flagris concise, spinis coronate; *horâ sextâ* crucifixe; per *tres horas* pendens, & Sole obscurato, Patrem, Matrem, Joannem, conversum latronem, allocute; *horâ nonâ* cum voce magnâ clamans, & expirans; *serò* de Cruce deposite, ac sepulte. Et hæc omnia pro me ingrato! Ecce vespertinas, nocturnas, matutinas, postmeridianas horas omnes, tuo sanguine, tuis cruciatibus, implevisti mihi; ut nulla hora sit, quâ aliquid

aliquid pro me non tuleris. Tui sint ergò, tui sint omnes dies mei; tuæ sint noctes meæ, ac singulæ horæ meæ: & quicquid in illis cogito, dico, ago, sit tuum. Ego sum felix ille, (atque utinam deinceps non ingratus!) quem tu tanto Sanguine, pretio tanto emisti! Rogo te per illum ipsum Sanguinem, ne permittas, ut me ulli vendam: ne permittas, ut etiam ad tibi servendum, alio incitamento movear, quam amoris tui. Hujus Sanguinis tui divinus calor dissolvat glaciem animæ meæ; sit balneum tepidi cordis mei, ut mundo corde te amem, amémque ardenter; nec amare prius definam, quam vivere; sicut tu me dilexisti usque in finem. Doce me amare amore non otioso, non ignavo; sed quali tu me amâsti: & fac, ut æterna mea occupatio, in die æternitatis, sit, amare te, & mortis tuæ, tam acerbæ, fructum dulcissimum, unâ tecum, capere, tibi que gratias, laudes, amorem, gloriam immortaliter canere, JESU, ô JESU Nazarene, Rex sæculorum, Rex cordium, & felicissima beati amoris æternitas. Amen.